



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 122. Pontificis responsum ad sanctum Archipræsulem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. CXXII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1569.

*Pontificis responsum ad Sanctum
Archipræsulem.*

Ad hanc Divi Borromæi epistolam Pius
V. hunc in modum rescripsit: „A
„tempore justi Abel ea fuit Sanctorum
„hæreditas, ut ab impiis vexentur, ego
„autem cæcitatem deploro illorum, qui
„deposito Dei timore in vanum labo-
„rant, ac sese in malorum abyssum præ-
„cipites agunt: de cetero grates Deo
„rependi, quod te a periculo immunem
„servare dignatus est, rogo autem. ut
„deinceps majorem vitæ tuæ curam
„habeas. „ Postea summus Pontifex
convocato Purpuratorum Senatu Car-
dinalibus vitæ discrimen, quod Sanctus
Carolus eluctatus esset, exposuit: cum
autem ejus virtus omnium veneratio-
nem sibi conciliaffet, hinc omnium in-
dignatio efferbuit adversus tam sacrile-
gi criminis reos, ac quilibet fervide
Deo grates egit, quod tam sanctum
Pastorem Ecclesiæ suæ illæsum conser-
vare voluerit. Rei fama ubi mox per
Romanam urbem percrebuit, populus
hunc Sanctum plurimi habens ingenti
dolore ob periculum, cui expositus erat,
ob prodigiosum vero modum, quo ab
eo præservatus fuit, immenso gaudio
perfundebatur: porro cum passim ha-

Giusf. l. c.

Hh 2

jus

Sæcul. XVI
A.C. 1569.

jus sceleris notitia per universam Ita-
liam spargeretur, omnes Principes ad
sanctum Archipræfulem literas dabant
malignus tamen spiritus, qui sua molli-
mina, quibus hostem adeo tibi formido-
losum e vivis deturbare voluit, in irri-
tum cecidisse dolebat, in vulgus spen-
gere non cessabat, quod hic Sanctus ad
aucupandam Sanctitatis famam studiose
sclopetum in se exonerari jussisset, qua
tamen calumnia adeo insulsa brevi eve-
nit. Ceterum Proceres, ac Principes
eum rogabant, ut satellitio ad sui cor-
poris custodiam uteretur: ast ille nun-
quam eorum precibus cedere voluit, in-
quiens, quod preces, quæ pro eo in ur-
be fierent, validiores essent, quam in-
tegræ militum legiones, quibus cingere-
tur. Summus Pontifex, qui Sicariis
plecti voluit, Mediolanum quemdam
Deputatum Apostolicum ablegabat, ut
in reos inquireret: attamen hi non nisi
anno sequenti promeritas dabant pœ-
nas, ac integer Humiliatorum Ordo
penitus fuit extirpatus, abolitusque,
prout suo loco narrabimus.

§. CXXIII.

*Renati Benedicti causa rursus a Sor-
bonna agitata.*

*Argentre
Collect. jud.
tom. 2. p. 404.*

Interea Parisiensis Facultas Theologica
Renati Benedicti Andegavensis Pa-
rochi